venissent, ut tollerent corpora, non invenerunt nisi ranas, quas putabant esse suos transformatos.

Undecima die vento inutili deferebamur in aquilonem contra Lyciam, et nisi grandi vi et arte nostri obstitissent naucleri, in Lyciae littora provecti fuissemus, de quibus absque Turcorum molestia non evasissemus. Dicitur enim, quod sicut Lycia olim habuit zelosissimos Christianos, sic nunc habeat crudelissimos Turcos. Satis prope adjecti fuimus ad locum, ubi fluvius Xanthus mari influit de montibus Lyciae, et ubi supra mare quondam civitas nobilissima, S. Nicolai natalis, Patera stetisse in maximis ruinis cernitur, quae peccatis exigentibus habitantium nunc penitus est in nihilum redacta. Dicitur enim, quod post tempora S. Nicolai fuerint ibi infelices homines, omnem luxuriam prosequentes et omnibus illecebris se subjicientes, quapropter civitas in manus Turci tradita fuit et post usque ad solum deducta, et quod his terribilius est, locus campestris juxta urbem totus creberrimis incendiis sicut vetus vestimentum scinditur et ex hiulcis meatibus perinde fumum emittit teterrimum, per noctem vero quasi ferrarrii fornax ignivomam vaporat flammam, cujus natura esse dicitur, ut si quis experientiae caussa manum propius adhibuerit, ardorem quidem sentiat, sed nullam patientiam adustionis. In Spec. Hist. L. XIV. C. 67.

Tertia decima die a Lycia longius ejecti in Aegeum pelagum decidimus et per aulonem Magistae et Chistae, insillarum Turcorum, navigavimus tarda profectione, in illo enim stricto ventos non habuimus, prohibentibus eorum afflatum promontoriis. Quia autem in medio Turcorum eramus et stare diutius ibi erat periculosum, ideo miseri galeotae plagis et verberibus cogebantur ramos trahere, et hortationes, quae alias fieri solent clamoribus, nunc fiebant durissimis percussionibus, quia clamare non audebant. Toto ergo die laboriosa, taediosa et periculosa navigatione processimus, et nocte adveniente lumina accendere prohibiti fuimus, ne aliqui videntes sumerent occasionem nos turbandi. Multa pericula sustinuimus, de quibus mentionem facere non possum, quia nimis longum foret.

Ende

Anfang

Quarta decima die in Rhodense mare devenimus, per quod die illa sulcantes in vespera portui civitatis propinquavimus, sed quia tarda hora erat, intrare portum non praesumsimus, sed alias

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;